

P R Æ F A T I O.

tiam à Tifernate Chryſoloræ diſcipulo protinus, indeque in omnes Europæ regiones delatæ ſunt: Hic Argyropyſus græcè Ariſtotelis philoſophiam docuit, & é græco in latinũ converſam, Coſmo nuncupavit: Hic Ficinus Platonem etiam latiné loquentem fecit, fructumque coſmianæ liberalitatis ſingularem tulit, donatus elegante villa Careggio Coſmi vicina, ubi liberiùs philoſopharetur: Hic deniq; græci philoſophi omnes, relicta Græcia in Italiam ad Coſmum hoſpitem profeſti, interprete Ambroſio latinis cogniti ſunt: Et quidẽ quó libentiùs docti cuiuſq; doctrinæ homines Florentinam Coſmi academiam frequentarent, cœnobium ſancti Marci magnificè á Coſmo ædificatum eſt, in eoq; Bibliotheca exornata libris omnium generum. Sed Laurentius Mediceus Coſmi nepos, avum etiam magnificentia vicit. Scholas duas alteram Florentiæ, alteram Piſis fundavit, Chalcondylam, Veſpucium, Landinum, Politianum, Baptiſtam Mátuatum, Laſcarim, Marullum, Acciolum magnificentiæ ſuæ præcones habuit: Laſcarim etiam per univerſa barbarorum imperia dimiſit ad raros antiquorum authorum libros exquirẽdum. Itaque é Græcia, Ægypto, Syria, etiam voluntate permiſſuq; Sultanorum, Laurentii ſtudio faventium, conquiſiti vndiq; magno ſumptu libri, & Florentiam comportati. tumque fama fuit græcos, imperio quidem á turcis, ſed bonis artibus atque antiquis authoribus á Laurentio ſpoliatos eſſe. Ergo florentina bibliotheca illa á Coſmo inſtituta, á Laurentio non ſolùm tabulis & ſignis excellentium artificum, ſed tot tantifque latinorum græcorumque virorum vigiliis & monumentis ornata, publicis ſtudioſorum deſideriis, tam grandibus impenſis dicata, omnes orbis bibliothecas longiſſimé